

1248, setembre, 9

*Ramon de Gironella fa donació a Agnès de Foixà dels béns que té a Rupià, Parlavà, Sant Llorenç de les Arenes i altres llocs.*

ASD núm. 145, còpia de 1262, 240 x 225 mm.

Hoc est translatum fideliter sumptum quod sic incipit. Sit notum cunctis quod ego Raimundus de Gerundella, filius condam Raimundi de Gerundella, per me et meos presentes et futuros, gratis et ex certa scientia dono donatione inter uiuos uobis domine Agneti de Fuxano et uestris pro franco et libero alodo totum honorem meum quemcumque habeo et habere debeo in tota parrochia de Ruppiano et de Palacio Raffano et in parrochia Sancti Laurencii de Ariniis et Sancti Uincentii de Ceiano(sic) et de Ferrariis. Item dono uobis et uestris in propria donacione inter uiuos totam partem meam integreriter quam habeo et accipio et mihi competit in dècima de Uirginibus et de Talata quam teneo per Bernardum de Fuxano. Predicta siquidem omnia uobis et uestris dono donacione inter uiuos cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et hominibus et feminis, censibus et usaticis, agrariis, iuuis et traginis, questis, tolitis, forciis, placitis et stabilimentis, seruiciis et adempramentis, cuguciis et exorchiiis, homicidiis et intestationibus et redemptionibus hominum et feminarum et feudis et dominiis tam militum quam aliorum hominum mihi pro dictis honoribus pertinentibus, et cum omnium rerum dominiis siue exactionibus ac prouentibus et cum omnibus aliis que dici uel nominari possunt que ego uel aliquis per me in predictis. parrochiis habemus et habere debemus, accipimus uel accipere debemus, tam racione proprietatis quam racione dominii, ui uel gratis, iuste uel iniuste uel alio aliquo modo ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem ibi et inde perpetuo faciendam pro franco et libero alodo, excepta dècima quam teneo per Bernardum de Fuxano prout melius dici potest ad uestrum bonum et sanum intellectum et sicut melius pater meus ipsa omnia michi dimisit in testamento uel in codicillis uel in qualibet alia sua ultima uoluntate, et in presenti mito uos inde in corporalem et uacuam possessionem ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum sine aliquo retentu quod ibi uel inde non facio, omnibus meis uocibus et rationibus et omnium meorum inde perpetuo extinctis et penes uos et uestros in perpetuum translatis; et si causa ingratitudinis uel alio aliquo iure scripto uel non scripto siue exceptione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuiam ire passem, illi iuri penitus renuncio. Et est certum quod predicta <omnia> et singula que uobis superius dono eligo et accipio pro mea legitima quia in amni casu habere debeo iure nature de bonis patris mei, et si predicta excedunt legitimam mihi debitam iure nature, suppleatur dicta donatio in predictis bonis de legitima que mihi debetur iure institutionis. Et iuro super sancta .III.or Dei Euangelia corporaliter tacta hec omnia et singula sempre rata et firma habere, tenere et in perpetuum obseruare nec in aliquo contrauenire iure aliquo uel ratione.

Actum est hoc .V. idus septembris anno Domini .MCCXL. octauo.

Sig+num Raimundi de Gerundella predicti, qui hoc firmo et lauda. Ego Petrus, Dei gratia Gerundensis episcopus, subscribo. Sig+num Petri de Ulmo. Sig+num Raimundi Sabaterii.

Sig+num Raimundi de Merchatallo, qui hoc scripsi mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Raimundus de Caciano, terrens locum Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, subscribo. Sig+num Michaelis de Ulmo, qui .X. kalendas nouembris anno Domini millesimo .CCLX. secundo hoc fideliter translataui mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius et iudex ordinarius domini regis qui hunc translatum cum autentico manifeste probaui, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 300-301